KNY-19-03062

ODE

IN SOLENNEM

EXCELLENTISSIMI DOMINI COMITIS

ANTONII CZIRÁKY

de Eadem, et Dienesfalva,

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI COMMENDATORIS, SACRAE CAESAREAE, ET REGIO APOSTOLICAE MAJESTATIS ACTUALIS INTIMI STATUS, ET EXCELSI CONSILII REGII LOCUMTENENTIALIS HUNGARICI CONSILIARII, EXCELSAE TABULAE SEPTEMVIRALIS COJUDICIS, JUDICIS CURIAE REGIAE, INCLYTI COMITATUS ALBENSIS SUPREMI COMITIS,

QUA

REGIAE SCIENTIARUM

UNIVERSITATIS PESTANAE PRAESIDIS

INAUGURATIONEM.

DIE 2-da MARTII MDCCCXXIX.

Oblata per Joannem Korher, Incl. Comitatus Albensis Tabulae Judiciariae Assessorem, et Lib. ac Reg. Civitatis Pestiensis Ord. Fiscalem.

Maecenas atavis edite Regibus
O et Praesidium, et dulce Decus meum!

Horat.

KNY-19-03062

BIBL. UNIVERSITATIS BUDAPEST EGYETEMI KÖNYVTÁR

Quem Dignitatis vidimus haud diu
In celsa vectum culmina, Vindicem
Et justi, et aequi, nil faventis
Conspicuum Themidis bilance.

Sagax Eundem Gratia Principis
Nobis amati sustulerat novo
Cunctis parem votis Honore,
Sic meritum reperisse noti.

De Stirpe clara nate CZIRAKIdum!
Hos inter omnes splendidior nites,
Dum Praesidem te ter beatus
Pieridum veneratur ordo.

Nunc ergo Musis Turba sacrata! nil
Morare, cordis vota fidelibus
Deprome signis, redde plausus
Digna Viro documenta tali.

Festivitatis nam celebrat Diem
Ut jure dicam, mellea Comitas,
Quae ducat auritas Cupressos,
Qua velit, et Libiae leones.

Est nota Cujus Vis Sapientiae, in
Numenque, Regemque, ac Patriam pia
Mens, ac avitae Cura Legis.
Justitiaeque Soror, modesta

Vis Recti, et albo rara Fidelitas
Velata lino, nudaque Veritas,
Quam nec secundae, nec sinistrae
Dimoveant stabili loco aurae.

Vir magne! dulces Te in gremio Deae
Fovere semper, Te juvenem quoque
Cinxere Lauro, Teque junctis
Sunt manibus charites secutae.

Decore tanto ut fulgidior fores,
Et haec Coronae Gemma datur tuae,
Hic corda devinces, parasque
Thura Tibi, meritum tributum.

Praeclara dotum congeries tuo
Conjuncta zelo quodlibet arduum
Loco movebit, dum velis, nil
Herculeis humeris resistet.

Et dum Jnventus sollicitae data
Curae, bonis progerminat artibus,
Scientiis, Virtute, fulcra
Atque Bases Patriae futura;

Tum collocabit Posteritas Tibi
Altare grati Pectoris, et seret
Annalibus Famam Decoris,
Nominis atque tui perennem.